



1. Nun Joseph dercepit fren. H.C. Matth. 1, 18.  
2. De Immanuele Matth. 1, 18, 23.  
3. De iudeo crux 1 Joh 11, 2.  
3. De amicta baptiste Matth. 3, 4. Mr. 1, 6  
4. De iudeo baptiste Matth. 3, 4. Mr. 1, 6  
5. Cantus super monte Mt. 5, 14. 80 R  
6. De bedroefenis arca Eleemysnes. Mt. 6, 2  
7. Propterea misericordia. Matth. XV, 9.  
8. De lignis temporum obseruandis Mt. 16, 1 - 4  
9. De aufer. Petrik Karp. Matth. 16, 13 - 19. Inuen.  
10. Tu es deus pax domini inventio. Mt. 16, 16.  
11. De claris hab. Mt. 16, 19.  
12. De antitribula. Solv. & lig. Mt. 16, 19  
13. De diabolis & de solutio. Mt. 17, 24.  
14. Super de optime uirina. Mt. 20, 1 - 16  
15. Vbi. si congregari volentes. Mt. 23, 37.  
16. Chichibul. de hacoone Enchi. Mt. 24, 14.  
17. De ostendendo. Mt. 24, 28.  
18. Ager sanguinis Mt. 27, 3 - 11.  
19. Tumba securatoris. Mt. 27, 60.  
20. De Canti. Iudas de. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.  
21. De curia mortuorum olear. Sancti. Mr. 6, 13. Ioh. V, 14.  
22. De Incarnatione Mysterio. Lxx. 1, 35.  
23. De Mysie iti prae servata.  
24. De rore Iesu. Lxx. 2, 21  
25. De iusta abst. peccatoris Lxx. 7, 47, 48  
26. Agobriges Lxx. 8, 13.  
27. Kilua Sabbonthica Lxx. XV.  
28. De Marmora mystica Lxx. XVI, 9  
29. De corde. Lxx. 16, 9  
..... Lxx. 16, 9.  
30. De laetitia. Lxx. XXIX, 41.  
..... gloriis auctor. Lxx. 22, 78

62

64

AB IMPIIS<sup>Q.</sup> D.<sup>B.</sup> V.  
DETORSIONIBUS

# THOMAE HOB- BESII,

&

# BENE DICTI de SPINOZA,

ORACVLVM PAVLINVM

*Per ipsum vivimus, movemur, & sumus*

Aet. XVII. 28.

*Afferet*

P R A E S I D E

Theologo per universum quaqua patet orbem Chri-  
stianum longe celeberrimo,

V I R O

*Illustri, Magnif. atq; Reverendiss. in Christo Patre ac DN.*  
**DN.D. IO. FRIDERICO MAYERO,**

Invictissimi Suecorum Monarchae Consiliario in Sacris per  
Germaniae Provincias Primario, Sacri Palatii Caesarei Comite, Ge-  
nerali per Pomeraniam Suecicam, Rugiamque Superint. Academiac  
Pro-Cancell. Perpetuo & Prof. Prim. Facult. Theol. Seniore, atq;  
Decano, ad D. Nic. Pastore, & Consist. Reg. Praeside.

*Dno. Patrono & Praeceptore*

Omnis observantiae ac submissionis cultu aeternum devenerando  
*d. XIII. April. M.DCC.VII.*

A V C T O R

**M. IACOBVS STAALKOPFF.**

Sedino - Pomeranus.

---

Gryphiuswaldia, Typis G. H. ADOLPHI, Acad. Reg. Typogr.

# THEOLOGVM.

Immortalium. in. Puriores. Christi. Ecclesiam.  
Meritorum.

Virum. Illustrem.

ac.

Reverendissimum. in. Christo. Patrem.

# DN. D. IO. FRID. MAYERUM,

Consiliarium. Regium. Academiae. Pro-  
Cancellarium. Perpetuum. Reliqua.

De. singulis. quibus. fungitur. muneribus. Amplissimis.  
praecclare. meritum. &. quotidie. egregie. merentem.  
Eruditorum. Decus.

Bonorum. Praesidium. Affictorum. Clypeum. Cli-  
entum. Refugium.

# DOMINUM. PATRONUM.

ac.

# PRAECEPTOREM.

Ea. qua. par. est.

Pietate. suspiciendum.

Submissa. levidens. huius. Dissertationis. dicatione.

Ea. qua. decet. observantia. veneratur.

Cliens.

Obsequentissimus.

&

Deprecator. penes. Supremum. Numen.

Indefessus.

IACOBVS STAALKOPFF.



## CONSPETVS DISSERTATIONIS.

§. I. *In genere de impieitate bibliomastygum differitur. II. Profana Pontificiorum, Fanaticorum, & Antiscripturariorum placita tum de ipsis sacris literis, tum de origine earum brevissime recensentur. III. Cartesianorum Scripturam secundum captum vulgi erroneam loqui statuentium & Clerici paria in hoc cum illis sententias mentio fit. IV. de detorsioneibus Scripturae, Praefatoris in Opera Spinosae postuma, Bekkeri, Zimmermanni, & Observatorum Hallensium agitur. V. Oraculum Paulinum exhibetur, ac ratio instituti indicatur. VI. & VII. Cap. XVII. Att. synoptrice declaratur VIII. Hobbesii proferuntur verba, atque inconstantia eius, acre, arrogans, & impium ingenium notantur. IX. verba haec colliguntur in argumentum. X. XI. & XII. locus Paulinus, quo ille abutitur paucis explicatur. XIII. Maior argumentationis Hobbianaæ infringitur instantia XIV. XV. & XVI. ad Minorem distinctionibus responderet. XVII. Spinoza in scenam producitur XVIII. Verba eius paraphrasite exponuntur XIX. Essentia causæ immanentis & transenteis tradituri, ac insimul, utrum Cabalistæ, Weigelius, & Boehmius à Spinozismo immunes pronunciari possint, disquiritur XX. Quis assertio[n]is Spinozianaæ de Numine, rerum omnium causa immanente sit sensus docetur. XXI. Philosophi Gentiles & XXII. Cabalistæ indice ipso Spinoza, Spinozismi postulantur. XXIII. Provocationem ad Paulum à Spinoza factam in eptam esse offendit. XXIV. quid Atheus per moveri in DEO intelligat edifferitur. XXV. Orthodoxa Apostoli de creatione sententia proponitur, quae cum Spinosæ heterodoxa XXVI.*

confertur, & dissensus inter Paulum & Atheum in doctrina hac  
XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. & XXXII. monstratur §.  
XXXIII. Ratiocinum ex Spinozæ verbis formatur, limitandoque  
ad illud respondeatur, atque sic §. XXXIV. Dissertationi finis impo-  
nitur.

## IESU FORTUNANTE!

### §. I.



Aiestatem sacrarum mecum attentius considerans literarum, saepius sum miratus profanissimorum Bibliomastygum plus quam cyclopicam temeritatem, quam miseri isti homines, dum illotis manibus sacratissima divinorum Oraculorum adyta, immodestius quam par est involant, & omnia pro libidine sua fingunt, refingunt, lacerant, detorquent, atque subsannant, omnibus in universum vel aliquo saltem pietatis sensu gaudentibus, haud obscure exhibit palpandam. Profecto, si monstra illa hominum, ea qua decet devotione & pietate perpenderent, scripturam hanc sanctam nihil aliud esse, quam mentem ipsius Beatissimi Numinis, de negotio salutis nostræ scriptione in tempore nobis communicatam, nunquam eo dementiae progressuri essent, ut spreta eadem ipsum DEUM spernere nulli dubitarent. Verum cum haec longe aliter se habeant, quid mirum tot convitiorum plaustra in sacras Pandæcas undiquaque coniici, totque modis illas saepius detorqueri, adeo ut aliae prorsus à seipsis videri haud immerito possint.

### §. II.

## §. II.

Pontificii quippe, tot blasphema adversus easdem eructant verba, & ea quidem adeo execranda, ut maiorem impietatem spirantia, ipsum Satanam ex orco evomere posse magnopere dubitem. Fanaticos Scripturam crepare literam mortuam & meram creaturam, nemini nisi rerum omnium experti ignotum esse potest. Anti-Scripturarios vero in specie ita dictos, cum considero totidem Lucianos, Celsos, Iulianos, Porphyrios &c. conspicere mihi videor. Sive enim vesanum illum Prae-Adamitarum Plasten, Isaacum Peyrerum, sive impium status naturalis Opificem Thomam Hobbesium sive maledictum illum Ovidium Benedictum de Spinoza, mundum monstrifica quadam Apotheosi in DEUM mutantem interrogem, omnes uno ore respondebunt: scripta potissimum V. Instrumenti meras lacinias esse antiquiorum scriptorum, schediasmata tumultuaria opera congesta, quae divina omni careant inspiratione. Ut iam illos profanissimi acuminis Criticos Richardum Simonium, & Ioannem Clericum, illum commenti de scribis Inventorem, hunc vero fabulae de Sacerdote Israelitico ad Samaritanos missio Architectum silentio praeteream. (a)

(a) Quae ut reddantur clariora conferri velim ILLVSTRIS  
AC MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS MEI Dissert.  
Select. Diss. XIX. §. 2.

## §. III.

Quid hic faciant illi praecipue, qui sputum nobilis Gallorum Philosophi Renati Cartesii lingunt, in aprico versatur. Eo quippe processerunt audaciae, dicam an-

insaniae? ut etiam stultitiam humanam sapientiorem, prudentia divina afferere non vereantur. Hinc enim in rebus Philosophicis, & quidem imprimis Mathematicis, accommodationem ad captum vulgi erroneous sacris literis à Spinoza, Bekero, Megerlino, Wittubio &c. adscribi videas. Qua vertigine praeterea, Philosophum etiam Eclecticum *Io. Clericum*, in transuersum abreptum comprehendimus. Vno verbo id suarum partium esse opinantur quamplurimi, ut sacra Oracula tanquam nasum cereum flectant, detorqueant, corrigant, atq; emendent. Quorum hac quidem tempestate, adeo largam undique reperire licet segetem, ut si omnes enumerare saltem vellem, negotium laboris plenum, ac molestum satis in me suscepturus essem,

## §. IV.

Si enim vel solum *Praefationis Autorem* in *Opera Spinozae postuma* consideremus, bone DEUS! quot non locorum scripturae detorsiones ibidem animadvertisimus, ad evincendum consensum perditissimi mortaliū B. de Spinoza, cum Servatore nostro, eiusque Apostolis unice comparatas. De fascinati Bekkeri Orbe fascinato, idem ferendum esse iudicium ocularis eiusdem probat inspectio. Sutoris Görlizensis admirator devotiss. atq; defensor accerrimus, novus ille systematis Copernicanī ipsis scripturae fundamentis inaedificati, architectus, *Io. Iacobus Zimmermannus*, utrum in eandem referri mereatur classem, sagacioribus me examinandum relinquo. De Observatoribus autem Hallenibus quid primo quid postremo eloquar ambigo, adeo animadversiones eorum plurimis referatae sunt. Certe uti homo

homo, homini, ita etiam vulpes, vulpi Diabolus esse videtur. *Vulpeculae quippe Hallenses vineam Supremi Numinis vastantes, adeo infensae sunt vulpibus Samsonaeis, ut eas ex loco Iudic.* XV. eliminare summo studio annitan-  
tur. Profecto, si fidem mereretur Autor libri qui inscribitur Seder Olam, (quem *Franciscum Mercurium ab Helmont esse ferunt*) explosam dudum Pythagoraeorum metempychosin ex orco revocans, admodum probabili-  
le esset, Ovidii animam in Observatorum migrasse cor-  
pora, dum vulpeculas in manipulos straminis, & ma-  
xillam Samsoniticam in alacrem exercitum transfor-  
mare, non dubitant.

### §. V.

Idem fatum inter alia quoque expertum est, Ora-  
culum illud Paulinum Act. XVII. commate 28:

*Ἐν ἀντῷ (θεῷ) ζῆμεν, καὶ καὶ σμένα, καὶ ἐσμεν.*

Quod proinde à detorsionibus THOMAE HOBBESII,  
& BENEDICTI de SPINOZA ea qua fieri poterit bre-  
vitate, pro viribus liberare conabor. Faxit Arbiter  
Orbis ut feliciter cadat alea!

### §. VI.

Venerat Apostolus Thessalonicam, ibidemque in  
Synagoga passionem & resurrectionem Salvatoris Iu-  
daeis annunciauerat. Benignissimum quoque Numen  
cuius res agebatur, laboribus Paulinis ex alto bene-  
dixerat, siquidem Lucas vir *Θεόπνευσος* testatur multos  
Thessalicencium Apostoli dicta approbasse. Verum  
non diuturna haec Thessalonicae fuit felicitas, cum ma-  
leferiati Apellae id unice summo conatu sint moliti,  
quo in prima quod aiunt herba praedicationem Evan-  
gelii

gelii suffocarent, semina evellerent, radicesque eliderent. Furor quippe eorum, quo agitati impotenter ac inique grassabantur, furibunda quoq; ipsis subministrabat consilia, & adscitis in societatem sceleris viris quibusdam malesanis, motibus, coitionibus, omnia replebant, totamque fere civitatem concutiebant, ac turbabant. Quibus adeo effectum, ut ceteri repurgatis a Christo sacris addicti, de incolumentate Pauli & Silae solliciti, eosdem clanculum tempore nocturno dimittere debuerint. Profectus igitur Gentium Doctor Berrham, & ibidem erudire populum suarum duxit esse partium. Sed neque hic Apostolo commorandi tempus concessit, Iudeorum nil nisi caedem ac mortes spirantium insaniam, utpote quae nil quicquam ad mitiorem faciem rediit; sed indies potius maiora semper cepit incrementa.

### §. VII.

Quapropter Berrhoa secedens, Athenas sedem illam literarum florentissimam, & bonarum artium domicilium celebratissimum ingressus est Apostolus, nimiamque qua incolae fascinati erant idolatriam aegre admodum tulit. Huic autem malo ut medicas adhiceret manus, nonsolum in schola cum Iudeis, & aliis pietati operam nauantibus crebros miscuit sermones, verum etiam ipsum forum differendi & docendi locum sibi selegerat, quo integrum ipsi esset, omnium in universum qui illuc confluxerant, mentes pulcherrimarum rerum cognitione imbuere. Nactus ergo pariter Philosophos quosdam auditores, & inter eos quidem, alios a porticu denominari cupientes, alios Gargettium illum

illum Senem Epicurum, sectae suae Autorem venerantes, acritem cum illis conflictatus est. Offendebant enim illos Pauli de dulcissimo Seruatore nostro, & resurrectione mortuorum habiti discursus. Quare ut eo accuratius illis de Apostoli constaret sententia, in Areopagum eum deduxerunt, quo ibi plenius doctrinam ediffereret suam. Noster in re ardua & maximi momenti tacere persona ac munere suo indecorum ratus, Athenienses circa initium Orationis nimiae postulat superstitionis, & quo maiorem dictis conciliaret fidem, ad proprias ipsorum Numen colendi rationes provocat. In specie autem ab inscriptione aerae cuiusdam ignoto DEO consecratae, haud proletarium perorandi capit argumentum. (a) Ignotum igitur DEUM illis se annunciare asserit Apostolus, cuius effectus ac operationes scitissime recenset, enumerando commate 24. & 25. creationem & conservationem rerum omnium. 26. sigillatim ortum hominis 28. providentiam Numinis circa hominem versantem. Quae omnia versu 28. his verbis repetit: In DEO vivimus, movemur, & sumus.

## B

## §. VIII.

- (b) De ara hac peculiarem *Io. Andreæ Boffi* dissertationem: Ienae 1659 habitam legisse neminem poenitebit. Conferri pariter poterunt eruditissimae illae Observationes Philologicae, quas de gestis Pauli in Vrbe Atheniensium Lipsiae 1706 cum Orbe erudito communicavit, singulare ejusdem decus Dn. *Gottfridus Olearius*. Neque praeterreundum esse censeo, doctissimum Angulum *Richardum Bentleium*, qui utut non adeo prolixe, nihilo tamen minus elegantissime quaedam ad hanc concionem Apostoli animaduertit. Or. II. inter Orat. de stultitia & irrationalitate atheismi.

## §. VIII.

Quae verba mirifice placent THOMAE HOBBE-SIO Malmesburia - Anglo, acris quidem (c) at arrogantis (d) & impii (e) ingenii viro, adeo ut eadem etiam pro demonstranda materialitate DEI afferre nullus dubitet: *Omnes sumus & mouemur in DEO sunt verba Apostoli. Quantitatem autem habemus omnes. An quantum inesse potest in non quanto?* Append. III. ad Leviath. (f)

Uti enim homo hic malesanus nullam plane spirituum, cum omnia ex ipsius mente sint corpora essentiam agnoscit, ita etiam in ipsam Benignissimi Numinis naturam spiritualitatem ejus evertendo, conatu plus quam giganteo insurrexit. Sibimet ipsi autem expressis contradixit verbis, DEO figuram tribuendam esse negans Ciuis Cap. XV. §. 14. Figura vero cum nil aliud sit, quam materiae aut corporis certo modo facta determinatio, necessario praesupponit corpus. Posita quapropter figura ponitur insimul (venia sit voci) corporeitas, & negata figura, negatur quoque materialitas. Negans itaque Hobbius Numini competere figuram, eidem recte pariter denegat corpoream essentiam, atque sic apertam commitit contradictionem, DEUM corporeum esse docens, & simul negans.

- (c) Testantur de hoc satis egregia mentis monumenta, quae vel physica, vel mathematica, vel etiam moralia expediunt argumenta.
- (d) Quod vel ex sola gloriatione, de Cive a se conscripto certo certius intelligas. Ita quippe immodicus hic sui amator & admirator inquit: *Physica res novitia est, sed Philosophia Civilis multo adhuc magis, upone quae antiquior non est libro, quem de Cive ipse scripsi.* Quam arrogantiam unus

unusquisque aequis rerum aestimator non potest non detectari, & acclamare illud Poëtae; ille sapit solus reliqui velut umbra vagantur. Quosdam nihilominus viros doctos si consulas, habet ex eorum mente de quo sibi gratuletur Hobbius. *Marinus enim Mersennus, & Petrus Gassendus*, quanta eruditio orbis decora! Civem Hobbesii laudibus ad coelum usque extollunt: id quod epistolae ad *Samuelum Sorberiam* datae, quae editioni Civis Amstelodami 1657. curatae, leguntur praemissae, evidentissime ostendunt. Adversas his tenet partes consultissimus *Rachelius*, nunquam se in ullum scriptorem incidisse afferens, qui absurdiora ac tetrica Orbi placita exposuerit. Cui quamplurimi cordati Theologi pariter ac Philosophi assensum praebent, scripta Hobbi moralia monstri aliquid alere, illaque adeo eo unice comparata esse, ut incautiiores fallantur unanimiter censentes. De physicis vero & mathematicis libris eius, benignius ferunt iudicium, quanquam tamen cum pro singulari suo quo turgebat fastu multa in Geometria etiam citra rationem innovare, & subvertere antiqua moliretur, meritam *Io. Wallisi* Geometriae in ea Musarum sede, quae Oxonii floret Doctoris dexterimi, adversus se provocavit censuram.

- (c) Impietatem quippe hanc satis redolent blasphemae quibus passim scripta eius referta sunt de sacris literis assertions, dum omnia undique conquisivit, quibus easdem in contemptum adduci posse creditit. Quibus abominandae aequ de statu naturali, religione mero Principis arbitrio subiacente, materialitate Numinis, peccatis extra imperium civile non existentibus &c. sententiae, accenserit optimo iure merentur. Quidam ob rem atheismi etiam insimularunt eum, praeter alios quantum ego quidem scio *Samuel Parkerus* vir sane eruditissimus & Defensor Divini Nominis adversus atheos strenuus, ac *B. Nathanael Falkius*, Secus videtur Excellentissimus

mo *Becmanno* Cap. I. Pol. Parall. utpote qui naturalismi quidem eum postulat, atheismum autem amoliri ab eodem conatur. Ego et si litem hanc meam non faciam, nihilo tamen minus rationem viri celeberrimi à peritia rerum moralium petitam, non possum non improbare. Quamvis enim cum Illustri *Schurzsteischio* haud invitius largiar, Hobbium in recondita Philosophiae quae mores spectat scientia apprime fuisse versatum, simili tamen alio exemplo edoctus statuere necesse habeo, atheismum & moralium scientiam qualitates compatibilis esse posse. Spinosam quippe quis nescit, prolixam fati edidisse Ethicam, & tamen pestilentissimo *ædæonteros* veneno turpissime fuisse corruptum. Becmannum hoc ipso quo haec scribo anno exceptit in exculpando Hobbesio, *Nicolaus Hieronymus Gundlingius* Observat. II. Tom. I. Observ. ad rem literariam spectantium, quam aliis examinandam & diiudicandam relinquo.

(f) Confer etiam Cap. XII. & XXXIV. Leviath.

### §. IX.

Lubricam igitur ac parum masculam Hobbii deprehendimus Philosophiam, in qua maiorem constantiam, ac hypothesum concordiam desiderare iure quis posset. Quod quidem adeo non miror, cum frequentissimum illud huiusmodi hominibus à recto veritatis tramite aberrantibus esse, vel solum Fanaticorum nostri aevi exemplum abunde testetur. Id saltem me male habet, quod ipsis Divi Apostoli verbis impiam de materialitate rerum omnium moderatoris sententiam, pingere haud erubescat noster. Verum vano ac irrito profus conatu id eum esse molitum, omnes cordati pariter ac pii rerum iudices perspectum habent. Latent enim in verbis eius supra §. VIII. allatis sequentes argumentationes: In quoque sunt & moventur entia quantita-

titate gaudentia, ille ipse quantus sit neceſſe eſt. Atqui in  
DEO teſte Apoſtolo &c. E. Et ulterius: Quicunque eſt  
quantus, ille eſt corporeus, Atqui DEUS. &c. E.

## §. X.

Quae collectiones etſi ſpeciem aliquam habere vi-  
deantur, penitius tamen conſideratae ruinoſo inniti-  
fundamento deprehenduntur. Suppoſita quippe doctri-  
na de corpore, quantitate, atq; extenſione, & iſpis Apo-  
ſtoli verbiſ ſpectatiſ, frauſ unicuique patet abunde.  
Paulus enim verba ſua non de exiſtentia & motione in  
DEO celi partiſ in toto; ſed de exiſtentia, vita, & mo-  
tione noſtra unice à DEO dependentē, creatione &  
conſervatione ſoli Numinis accepta ferenda, intelligivult.  
Vt adeo ſequens inde emerget ſenſus: *DEVS eſt, qui nobis  
exiſtentiam & eſſentiam largitus eſt, & idem ille DEVS eſt, qui  
nos adhuc quotidie conſervat, foret, ſuſtentat, atque movet.* V-  
no verbo vivimus, moventur, & ſumus in Numine Bea-  
tissimo non ~~totiū~~ localiter & tanquam in ſpatio; ſed  
~~ençypti~~ quia in DEO viſ noſtra agendi, & à DEO vi-  
ta, operationes vitales, ac aliae omnes motiones no-  
ſtræ quas exerimus profiſcuntur. Vnde quoque eſt,  
quod Erasmus verterit: Per iſpum enim vivimus, &  
moventur, & ſumus.

## §. XI

Ne autem gratis haec aſſeruiſſe videar iſpum con-  
textum ſuadeo conſerri, qui hanc explicationem ap-  
probat. Quod enim in DEO i. e. à DEO omnes reſ  
ſint declarat comm. 24. & 25. quomodo in DEO vi-  
vamus exponit verſ. 25. Gentium Doctor. De motu par-  
ſaciendum eſt iudicium, quia ille vitam hominis mox fe-

B;

qui-

quitur. Quare posita vita, motus ponatur necesse est. Praeterea subsequentia etiam ex Arato laudata verba, idem luculenter evincunt. Genus quippe Numinis sumus, quia illud nos ad imaginem suam condidit, conservavit, ac variis semper beneficiis licet immerentes ornavit, quae omnia enumierare si vellem charta deficeret. Paulus ergo ex Paulo explicandus, & Paulo optimo verborum quae ipse effatus est interpreti, fides non deneganda.

## §. XII.

Aut exponamus ita: Apostolus postquam in superioribus notitiam DEI naturalem acquisitam, egregiis 24. 25. & 26. versibus illustrasset argumentis, commate 27. Finem eiusdem assert, ut homines his rationibus in conscientia convicti dari DEUM, eundem summa diligentia quaerere, & invenire anniterentur. Quod negotium ulterius eodem versu commendat à facilitate, dicendo: Benignissimum rerum omnium Parentem non elusurum esse navatam in quaerendo operam, quaestioni inventionem felicissime esse responsuram, idque ideo, quia non longe absit ab unoquoque nostrum. Si colligas terminos sequens inde ni fallor orientur argumentatio: *Quicunque non longe abest ab uno quoque nostro, illum facile in venire licet Atqui DEUS.* E. Propositio sua radiat luce. Subsumptum vero probatur commate 28. ἐν αὐτῷ γὰς ζῶειν καὶ παρέμεθα κοι εἰσπειν. Vbi particulam aetiologicam γὰς reperimus. Vnde tale iterum nascitur ratiocinium: *In quocunque vivimus, movemur, & sumus ille non potest longe à nobis abesse, vel praesentissimus nobis esse debet.* Atqui in DEO &c. E. adeoque in immensitate

sitate & omnipraesentia Numinis vivimus, movemur, & sumus. Essentia Divina, vitae motionibus & existentiae nostrae est praesentissima. Illa enim cum omnia undique replete modo imperscrutabili, & nobis quam proxime non potest non adesse.

## §. XIII.

Applicare iam haec ad Hobbii collectionem animus est. Melius autem egisset ille, si fortius Propositionis probasset sequelam, cum ea quam affert, scrutatori veritatis non satisfaciat. Respondeo itaque 1) negando connexionem Propositionis, petita insimul instantia à spatio, cui quanta inesse constat, etsi ipsum quatitate careat, utpote quae est accidens, verumque adeo & reale Ens, ac properea spatio quod non nisi non-ens & mera denominatio extrinseca tribui nequit. Quo ipso simul concidit probatio Propositionis Hobbesiana, quantum nimirum in non-quanto esse non posse, cum detur exemplum spatii contrarium.

## §. XIV.

Quare discriminem constitui velim, inter existentiam nostri veluti quantorum in DEO non quanto *sub ratione partium*, & *sub ratione totorum*. Nos omnes utut quantitate destituti haud simus, tamen existimus in Supremo Numine extensione carenti. Sumus in eo non tanquam partes, si enim hoc esset utique DEUS extensus quoque concipiendus foret, quia partes sequuntur naturam totius, & atheismus stabiliretur Spinozianus quem tamen ipse Hobbius reiecit, certe reiicere voluit (g); sed veluti tota, qua ratione quanta in non quanto e gr. spatio esse posse Posit. XIII. probatum.

(g) Cap. XV. § 14. Element. Phil. de Cive,

§. V.

## §. XV.

Quae distinctio si argumentationi *Hobbesii* accommodetur illam sequenti elidet modo: In quo cunque dantur entia quanta ceii partes, illud ipsum quantum sit necesse est. Sic temperata Maior vera equidem est; sed negabitur Minor, quod nos in Numine tanquam partes simus. Vel ita: In quo cunque dantur quanta ceii tota, illud ipsum quantum esse debet Atqui in DEO &c. Hoc enim pacto facillime concedo Minorem, vel Subsumptum; sed nego nexus Propositionis ob rationem supra allegatam.

## §. XVI.

Aliud proinde est, esse & moveri in DEO, veluti locatum in loco, aliud tanquam creaturas in conditore, conservatore, & moderatore omnium. Prius inficias eo, posterius haud invitus largior. Aliud esse in DEO ceu partem eius, aliud ex adverso esse in Numine immenso & omnipraesenti, ad existentiam, vitam, & actiones nostras efficaciter concurrenti, quorum illud aspernor; huic vero assentior.

## §. XVII.

Hobbesium excipiat famosissimus ille atheus (b) BENEDICTVS de SPINOZA, qui in multis paria cum Hobbio docuit, in eo saltem quantum ego quidem iudico ab eo diversus, quod is tectius, hic vero apertius portenta sententiarum suarum proposuerit. Epist. enim XXI. ad Oldenburgium data pariter Divum Apostolum sibi ἀριστην, & quod maxime execrandum tanquam Atheismi Patronum in scenam producere conatus est. Ita autem hac de re l. c. differit ille: *Sed ut mentem meam aperiam*

periam, dico, ne de DEO & natura sententiam fovere longe diversam ab ea, quam Neoterici Christiani defendere solent, DEUM enim rerum omnium causam immanentem ut aiunt non vero transiuntem statuo. Omnia inquam in DEO esse, & in DEO moveri cum Paulo affirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis Philosophis licet alio modo. Et auderem etiam dicere cum antiquis omnibus Hebraeis, quantum ex quibusdam traditionibus tam si multis modis adulteratis coniicere licet.

(g) Quod pro viribus Vitembergae aliquali Dissertatione 1705. habita aduersus Autorem praefationis in Opera Spinosae postuma evici. Et cum postea deprehendebim, Godofredum Arnoldum in historia sua ecclesiast. & Io. Georgium Wachterum in Elucidario Cabalistico easdem cum Praefatore inflasse tibias, & hos pro virili meo confutare allaboravi duabus Exercitatiunculis, quas propediem cum L. B. nisi illae quae me haecenus impudierunt difficultates, porro institutum aliquale meum remoraturae sint, sum communicaturus.

### §. XVIII.

Vniversum quicquid huius rei est negotium hoc reddit: DEUM esse causam immanentem, non vero transiuntem rerum omnium, quod ex Oraculo nostro Paulino demonstrare satagit homo profanus. Hoc illud monstrum est, quod omnibus quaesitis coloribus, pingere ac vestire laborat. Haec illa est sententia, quam ab antiquitate nimium quantum commendare haud dubitat. Haec illa est, quam ex impuris Philosophorum Gentilium lacunis deducere studet. Haec illa est, quam in somnolentis, nugacibus ac ineptis Cabalistarum cerebris natam tantopere depraedicat noster. Et hunc quoque turbidum scientiae paganae rivulum, ex ipsis limpidis-

C

si-

simis Ifraëlis fontibus, ex aureo & divinitus inspirato Sapientiae Paulinae flumine derivare contendit. Quo ipso tamen, lucem cum tenebris, Christum cum Beliale, perperam & irrito conatu coniungere est molitus.

## §. XIX.

Quid vero causa immanens? Quid transiens? Transiens illa est, quae essentiam effectus non ingreditur, sed realissime distinctum ab eo obtinet esse. Immanentem eam voco, quae essentiam causati ingreditur, eandem intrinsecus constituit, adeoque numero idem cum eo possidet esse. Coincidunt haec cum iis, quando causa in internam & externam distinguitur. Sic e. gr. causa interna mensae est materia eiusdem, sive sit lapis, lignum, argentum: Haec non differt ab effectu; sed eandem cum eo obtinet essentiam. Similem in modum cum Immortalí Numine, & rebus conditis comparatum sit oportet, si causae immanentis nomen D E O Beatissimo tribui debet. Sed aliter *Dn. D. Buddeus* in gratiam *Cabbalistarum, Valentini VVeigelii, & Iacobi Boehmii, & CL. Wachterus* itidem in gratiam Boehmii explicant causae immanentis naturam, eam etiam realiter ab effectu differre posse contendentes (*b*). At enim vero verba valent sicut nummi. Iam semel ea quam tradidi recepta est causae immanentis definitio. Iam omnes auditio nomine talē sibi formant conceptum. Quapropter uniaut duobus integrum non erit, citra ullam praequantem rationem novum vocabulo largiri significatum. Quid? quod alias nullum discriminē inter immanentem & transeuntem causam admittendum foret, quod tamen inconveniens esse per se patet.

Con-

(b) Confer *Buddeum* in *Introduct.* ad historiam Phil. Ebr. p. 328. & in *Dissert.* de Spinozismo ante Spinozam §. 21. *Wachterus* in *Spinozismo im Judenthum* p. 249. §. 96. Quod autem ad rem ipsam attinet, Cabballistas Spinozismi convicti *Wachterus* libro iam citato & in *Elucidario Cabballistico* 1706. in 8. edito, idem adversus *Buddeum* 19. demonstravit argumentis. Quantum vero ad Weigelium & Boehmum spectat, fateor non uno modo respondere autores. *Weigelium enim Buddens*, Boehmum vero *Henricus Morus*, *Wachterus* & *Buddeus* exculpare annuntuntur. Ex adverso autem Atheum rediutus quam Christianum appellari posse *Frickius* iudicat in der Untersuchung der Irrthümer Iacob Boehmens p. 345. Ego si quid in his rebus perspicere valeo, Weigelium pariter atque Boehmum, Spinozismi ex propriis ipsis veribus convinci posse arbitror. Quid enim aliud volunt haec Weigeli? Gott sey das Wesen aller Engel und aller Creaturen alles was Gott gemacht habe sey er selber Gott sey Himmel und Erden. Si itaque *Dn. Buddeo* §. XI. *Dissert.* citatae, *Almaricum Praeceptorem* Dinanti Spinozismi ex eo capite postulare licuit, quoniam DEUM essentiam omnium creaturarum dixit, neque mihi virtus vertere poterit Vir CL. imputationem Spinozismi ex eadem causa Weigeli factam. Alias hoc inde sequeretur, aut Virum Excellentissimum iniurium fuisse in *Almaricum*, aut quod multo probabilius videtur, iusto mitiorem erga ipsummet extitisse Weigelium. De Boehmia quoque rem satis claram esse, propria ipsius quae sequuntur verba testantur. Wo ihr könnt erweisen/ dass dieses alles (Systema mundi) nicht Gott selber sey/ NB. so wil ich mein Buch mit Feuer verbrennen/ die Creatur ist NB. Gott selbst/Gott hat alle Dinge NB. aus seinem Wesen erschaffen/ da Gott diese Welt samt allen hat erschaffen/ hat er NB. keine andere Materie gehabt/ als sein eigen Wesen in sich selbst. Quae omnia eo aurigantur, ut ostendat homo malesanus, DEUM causam mundi im-

manentem esse, & EX DEO cœu materia omnia esse  
creata. Quem ipsum Atheismum Spinozianum esse, qui-  
libet praeiudicatis opinionibus vacuus facile videt. Sit  
igitur *Morus* Vir doctus, quod non nego, utrum vero ac-  
curatus Philosophiae Boehmiana censor iure à Vene-  
rando *Buddeo* appellari possit, nondum evictum, cum  
contrarium per adducta ex Boehmio loca res ipsa lo-  
quatur. Certe idem *Morus* Quakeros Spinozistini ac-  
cusavit, quos tamen pestilentes Boehmianis fove-  
re sententias vix crediderim.

### §. XX.

Quid igitur assertione hac: DEUM esse causam im-  
manentem mundi *Spinoza* sibi velit, ex dictis abunde di-  
spalescit. Nimirum hoc vult, ex Numinis essentia o-  
mnia alia sequi per emanationem, omne quicquid est  
in DEO esse, & nihil sine DEO neq; esse, neq; concipi pos-  
se, & per consequens res particulares nil esse nisi DEI  
attributorum affectiones, sive modos, quibus DEI at-  
tributa certo ac determinato modo exprimuntur, quae  
sunt propria eius verba Prop. XV. P. I. Eth. & Coroll.  
Prop. XXV. eiusdem Partis. Vno verbo: DEVUM esse  
materiam mundi, mundum esse DEVUM extensum vel  
expansum, & DEVUM mundum contractum.

### §. XXI.

Eodem in luto cum Spinoza haeserunt quampluri-  
mi (ad quos proinde etiam in verbis supra allatis pro-  
vocavit) ex Gentilium Philosophis: id quod egregie  
executus est Petrus Baelius in Dictionario Historico-Cri-  
tico passim. Cui in omnibus ferme adstipulatur *Bud-  
deus* in Spinozismo ante Spinosam, si modo imputatio-  
nem Theomachiae Spinozianae Scholae Platonicae fa-  
ctam

Etiam exceperis. Platonem quippe, eiusque sequaces eximere ex Spinozistarum numero, magnopere pro eo, quo Recentiores in hunc Philosophum feruntur amore, laborat; (i) quem tamen nuperrime huius impietas insimulavit Nicol. Hieronymus Gundling in Otiis II. Aufzage Observat. III.

(i) Vide hanc in rem Max. Reverendi Gedanensium Theologi Dn. Bücheri scripta.

### §. XXII.

Neque tacendi erunt, iudice ipsomet *Spinoza*, Hebraei & Cabbalisticorum deliriorum adoratores religiosissimi, dum ita scribit: Et auderem etiam dicere cum antiquis omnibus Hebraeis, quantum ex quibusdam traditionibus tametsi multis modis adulteratis conigere licet. Discrepant alioquin in arcessenda Spinozismi origine inter se Autores. *Vriesius* siquidem Ultrajectinorum Philosophus celeberrimus, in eam pronus est sententiam, quae in prognata obstetricante *Cartesio* Philosophia incunabula eius quaerit. Atque hoc ex ea cumprimis ratione, quod *Cartesius* eodem ferme modo substantiam descripsit, quam quidem *Spinoza* suam infinitam substantiam. (k) Cui opinioni vel inde etiam color aliquis peti posset, quoniam constat atheum nostrum egregiam Philosophiae Cartesianaee navasse operam. Quia de re satis testari poterunt Pars I. & II. Principiorum *Cartesii*, quas ille ordine geometrico demonstrandas sibi sumvit. Quicquid tamen huius sit, malim ego *Wachtero* potius assentiri, utpote qui egregie locis supra nominatis, turbidas Spinozismi aquas ex stygio Cabbalismi aequore derivavit.

(k) Exercit. IV. de DEO Immenso §. 9.

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Veneretur ergo Spinoza antiquos Philosophos sententiae suae autores, summa cum reverentia Praeceptores suos Cabalistas colat ac devotissimo prosequatur honore mysteriorum suorum Epoptas. At illa hominis profani insanis non potest non bilem moyere unicuique cordato, qua adductus ipsum Gentium Doctorem in suas pertrahere partes nullus dubitavit. Quam tamen ad Paulum provocationem ineptam esse, supra Posit. X. XI. XII. traditus Apostoli sensus luculentissime ostendit.

## §. XXIV.

Ad haec absurdia etiam, primo intuitu rem consideranti, videri poterat haec collectio Spinozae, sumus & movemur in DEO. E. DEVS est causa immanens & per consequens nos sumus DEVS. Siquidem instantia sequenti: Ego sum & moveor in hypocausto E. ego sum hypocauustum, haud difficulter everti potest. At enim vero, si penitus ponderetur, ea apprime hypothesi illius inservire deprehenditur. Non enim id vult atheistus, nos esse & moveri in DEO ceu tota in toto sed velut partes in toto. Vnde nil aliud quam hoc sequi poterat, omnia esse & moveri in Deo tanquam partes, modos, affectiones Numinis. Quam sententiam, utpote atheismum spirantem, ac mundum in DEVUM transmutantem, omnemque creationem evertentem acerrime in texitu nostro detestatur Apostolus.

## §. XXV.

Mentionem quippe commate 24. Cap. 17. Act. Apost. creationis facit, & sollicite admodum creaturam à cre-

a creatore distinguit ac separat, etiam in subsequentibus. Aliud nempe est coelum & terra, aliud Dominus coeli & terrae, aliud DEUS uitam, motum & halitum dans, aliud homines & cetera animalia, quibus haecce ex mera benevolentia largitur, aliud subiectum quod colitur, aliud colens. Quare si quis ex Spinoza vere demonstrare possit, eum eodem cum Paulo modo Creatorem & creaturam distinxisse, uictas lubentissime dabo manus.

### §. XXVI.

Spinozae enim erroneos de DEO rerum omnium causa immanente conceptus, si sequi velimus, omniem necessario creationem chimaerae instar reputare neesse habebimus. Sola causa efficiens, sola transiens est vere ac proprie sic dicta causa, ceterae ne nomen quidem merentur. Noster autem Philosophus cum eo ipso, dum transseuntem reiicit, insimul efficientem proprię sic dictam causam improbat, in illa versetur neesse est opinione, DEUM esse materiam & formam mundi. Vides ergo L. B. egregium illum DEUM, quem Spinoza in mundum transformauit, seque adeo conditorem DEI sui, quem in mente concepit, esse testatus est. Creaturam hic vides Conditorem, & rem conditam. Creatorem. O monstri plenam metamorphosin! Spinoza homo mortalis a vero DEO conditus, adeo perfidae est frontis, ut DEUM aliquem chimaericum fингere, & hunc causam rerum omnium venditare haud erubescat.

### §. XXVII.

Quamobrem idolo huic creationem tribuere velle  
ni-

nimir absonum esset, ac magna profecto laboraret absurditate. Perinde enim foret, ac si ligno mensam intrinsece constituenti, productionem eiusdem adscribere quis vellet, cum utriusque par sit ratio. DEUS quippe Spinozianus nil aliud est, quam materia & forma mundi, vel ipse mundus causa efficiente & finali carens. Inde etiam est, quod posita ab Atheo nostro hypothesis de Numine causa rerum omnium immanente, aut interna, uniuersam destruat creationem sensu orthodoxo acceptam, in quantum illa talem Supremi Numinis denotat actionem, qua illud intra sex dierum spatium, omnes res uisibiles & inuisibiles extra se positas, liberrime ex nihilo condidit, in sui gloriam, & rerum productarum salutem. De qua pulcherrime, uti mihi quidem uidetur, scripsit, homo, utut Naturalista ac Francisci Puccii, Edoardi Herberti Baronis de Cherbury socius, Petrus Chauinus (<sup>1</sup>)

(<sup>1</sup>) Verba eius haec sunt: *Certe quidem illa creatio nihil aliud mihi uidetur esse, quam actualis ac praesens applicatio voluntatis divinae creaturem de nihilo prodire tubentis. Nihil eo imperio singi potest diuinius: adsit coelum, adsit terra, inquit, ac subito ad primulum tantae uocis halitum creaturee sui nihil oblitac extricant se de sua priuationis fascis, atque tremebundae coram factoris sui tribunali comparent.* Tract. de Religione naturali libr. I. cap. IX. p. 84.

### §. XXVIII.

Hanc quippe potentissimi rerum omnium moderatoris actionem, cum pro ea, qua pollebat sagacitate, systemati suo noster Atheismi Parens adversas tenere partes facile animadvertisset, omnibus viribus impugnare est conatus. In profana enim quam adornavit Ethica

thica & quidem statim in eius P. I. sequentem offendit Propositionem, quae numero VI. est: Vna substantia non potest produci ab alia. Quam ne frustra chartae illevisse videretur, more Mathematicum Doctoribus consueto, hac quae iam sequitur eidem fidem facere allaboravit Demonstratione. In rerum natura non possunt dari duas substantiae, eiusdem attributi (per Prop. V.) quae aliquid inter se commune habent, adeoque (per Prop. III.) una alterius causa esse nequit. Cui Mathematicorum illud: Quod Erat Demonstrandum subiecit, pro quo si hoc: Quod Erat Delirandum scripsisset, rectius iudice Poireto fecisset.

## §. XXIX.

Videmus hic Euclideum aliquem Demonstratorem, adeo ut verisimile propemodum videri posset, illum Mathematicorum Parentem, in Spinoza revivixisse. Crepare eum deprehendimus apodicticas, evidentissimas atque omnem omnino exceptionem eludentes demonstrationes. Quid ergo faciendum? Anne causa DEI prodenda homini atheo? Anne solum nomen, sola umbra mathematicarum probationum terrorem incutere & à proposito deterrere poterit? Minime! Sola enim haec methodus in se considerata, maiorem rebus conciliare nequit veritatis gradum, et si in obiectis, quae demonstrationem in rigore sic dictam non patiuntur, ad augendam difficultatem ac obscuritatem haud parum facere soleat. Nota eruditis sunt exempla, *Huetii, Pufendorfi, Wackteri*, & quid hi Viri demonstrationibus suis mathematicis, in rebus extra spherae divinae matheseos sese porrigentibus, ad summam rei profecerint, pariter probe habent perspectum.

D

§. XXX

## §. XXX.

Sane, si ipse ordo Geometricus, quicquam ad conciliationem veritatis ficeret, quid obstat? quo minus eodem, ad stabiliendas doctrinas falsitate haud exigua laborantes adhibito, eaedem futurae essent verissimae, quod tamen longe fecusse habere, vel ipsum quod iam ante oculos nobis versatur Spinosae exemplum, dilucide ostendit. Meras enim hic deprehendimus petitiones principii, iterum ex aliis demonstratas: Quas ut ostendam instituti ratio non permittit, neque necessitas idem postulat, cum praeter alios id praestiterint *Io. Franciscus Buddeus (m) & Petrus Poiretus (n)*. Ego saltem assero, falsissimam esse Propositionem hanc VI, nec retius procedere eiusdem demonstrationem, utpote in qua identitatem numericam, cum specifica vel genericā, turpissime confudit noster. Haud invitus equidem concesserim, non dari posse duas substantias eiusdem attributi numerici, cum illam numero eandem affectionem quam possidet una, non possit habere altera; ast qua ratione, existentia duarum aut etiam plurium substantiarum, in certo quodam attributo generico vel specifico convenientium, negari possit, plane non video. Eo ipso enim, dum dantur duae substantiae, convenient in attributo generico substantiae, adeoque unam infinitae virtutis, alteram perfectionibus saltem finitis gaudentem, producere posse, nullam involuit contradictionem.

(m) In Spinozismo profligato.

(n) In Fundamentis atheismi eversis.

## §. XXXI.

Non ergo Spinoza creationem per veram & realem pro-

productionem ex nihilo; sed per emanationem ex DEO explicari vult. Quo ipso atheismum suum satis clare exhibet palpandum. Quemadmodum enim fluvii ex mari oriuntur; ita EX DEO omnia emanasse cum Cabalistis, VVeigelio, & Boehmio, noster nugarum architectus fabulatur. Quibus consona etiam, quod mireris tradere videmus, Hallensem illum JCTum Christ. Thomassum, omnia, etiam materiam ex DEO esse afferentem (o). Paria ex B. D. Spenero, Pietistarum Antesignano, & Arnoldo famoso illo haeresium quarumcunque Patrono, attulit Magnificus Praeceptor meus Dn. D. Neumannus in lectiōnibus privatis de Pietismo.

(o) Confer Rothium in Thomasio portento p. 20.

### §. XXXII.

Sicuti igitur ut in viam redeam, mare & flumina ex eodem redundantia constant ex aqua, & nil aliud sunt quam aqua; ita etiam ex mente Spinosae & aliorum, DEVS & Entia quae ex eodem emanarunt, unius eiusdemque sunt essentiae. Vti fluvii sunt particulæ maris; ita res mundanae particulæ DEI, uti flumina variis modis afficiunt & (venia sit voci) modificant mare; ita entia omnia afficiunt DEVVM, eiusque affectiones, ac modi sunt.

### §. XXXIII.

Tuum itaq; iam erit mi Lector iudicare, qua fronte Spinoza ad Divum Paulum provocare queat. Quod reliquum est, brevibus saltem ex mente eius argumentabor, & paucis pariter respondebo. Ratiocinium sequentis est tenoris: Quicunq; tanquam partes, sunt & motiventur in DEO, illi sunt DEVS & per consequens Deus eorum causa immanens est. Atqui nos omnes &c. E.

Propositionem concedo, cum nihil in divina essentia dari possit, quod non sit ipse DEVS. Assumpto autem, quo minus assentiar ipse facit Apostolus, negans nos esse & moveri in Nume Supremo veluti partes, cum alius longe verborum ipsius sit sensus supra à me traditus.

## §. XXXIV.

Et haec ea sunt, quae hac de re iam monere volui. Suf-  
ficere illa posse facile crediderim, cum animus non fuerit li-  
brum, aut commentarium aliquem conscribere; sed paucas  
saltem positiones publico profuturas colloquio, rudi Minerva  
delineare. Ceterum de benevolentia Tua L.B. parum du-  
bitans, magnum in modum à Te contendō: Velis leviden-  
ses hasce theses aequi bonique consulere, & me immer-  
tem licet, favore tuo benigne complecti. Faciam & ego vicis-  
sim, quod mei erit officii, nullamque temere praeterlabi pa-  
tiar occasionem, qua pietatem, observantiam & amorem me-  
um erga Te, opere ipso testari potero.

## COROLLARIA.


## I.

Frustra in eo esse videtur *Poiretus*, dum illud pia unice fi-  
dei simplicitate excipendum SS. Triados mysterium, ex rati-  
onis lamine, methodo mathematica probare, magno conatu  
molitus est, taceo quod hac in parte se quoque ridendum  
praebeat p. 228. Cogit. Rat. afferendo: mysterium hoc ex natu-  
rae lumine utcunq; palpari & illustrari posse, ac si palpare & il-  
lustrare, effet geometrice demonstrare.

## II.

Perperam *Gundlingius* imaginem DEI tantum in voluntate,  
minime vero in intellectu positam suisse contendit, adeoque  
imprudenter negat, Adami intellectum nostro perfectiorum  
suisse in *Otius* & quidem in der ersten Auflage Ani-  
madversf. IV.

T A N T V M !



ERRATA QVAE ADHVC OCCVRRVNT  
EXTANTIORA, SEQVENTEM IN MODVM  
CORRIGI VELIM B. L.

Pag. 9. lin. 2. pro acriterem leg. acriter.

Pag. 10. not. (c) lin. 2. pro expediuunt leg. expendunt.

Pag. 15. lin. 8. post uerbum *affert* inseratur uocabulum *pro-*  
*batio,* lin. 11. pro quatitate leg. quantitate,








753962



5b.

R VR





62  
64

D. B. V.  
DETORSIONIBUS  
**AE HOB-**  
**ESII,**  
&  
**DICTI**  
**NOZA,**  
VM PAVLINVM  
nus, movemur, & sumus  
et. XVII. 28.

Afferet  
**AE SIDE**  
sum quaqua patet orbem Chri-  
longe celeberrimo,  
**VIRO**  
verendiss. in Christo Patre ac DN.  
**DERICO MAYERO,**  
ionarchae Consiliario in Sacris per  
ario, Sacri Palatii Caesarei Comite, Ge-  
ricam, Rugiamque Superint. Academiae  
Prof. Prim. Facult. Theol. Seniore, atq;  
Pastore, & Consist. Reg. Praeside.  
ono & Praeceptore  
missionis cultu aeternum devenerando  
April. M.DCC.VII.  
**VICTOR**  
**VS STAALKOPFF.**  
lino - Pomeranus.  
H. ADOLPHI, Acad. Reg. Typogr.